

conformis; malè dicitur carnalis, cum sit spiritualis, neq; æqui voce de hoc nomine participat, quamvis quodammodo illud fiat analogicè in respectu ad regeñitū. Joh. III. 6. VI. 63. *

31. Distinguendum inter veritatem propositionis & verum de re proposita conceptum. Potest aliquando & regeñitus & irregeñitus veritatem cognoscere enunciative non tantum, sed & conceptivè, ut justum habeat conceptum. E. contra potest etiam uterq; veritatem habere enunciative, non autem conceptivè. Joh. V. 17. 18. XVI. 19. *

32. Quamvis Philosophiæ & Philologiæ cultura Theologo apprimè sit necessaria, Biblico tamen studio nihil prius neq; posterius esse debet. Act. XXVI. 22. I. Cor. II. 13. *

33. Theol. illa mystica, quæ à Fanaticis hodie adeo comendatur, meritò tanquã suspecta rejicitur. I. Cor. III. 11. Act. XV. 11.

DISPUT. II.

De Scriptura Sacra.

1. **E**st verbum Dei, quod Deus ipse immediatè eloquitur & revelat hominibus, ut inde agnoscat, & ipsi salvi fiant.

2. Quod Prophetæ & Apostoli literis consignarunt; Unde vocatur divina Scriptura.

3. Quæ distribuitur in V. & N. T. (Deum.

4. Est illa efficax ad hominem à peccatis convertendum ad

5. Et est perfecta, tum quia omnia ad salutem necessaria continet, tum quia ingenitam habet lucem.

6. Unde ex se ipsa & per se ipsam explicanda est.

7. Cujus interpretationis hæ sunt leges. (1) Est fidei conformis. (2) Literalis, nisi ipsa tropum ostendat & explicet. (3) Ordinata, hoc est, ex scopo, antecedentibus & consequentibus deducta. (4) Sumpta ex propria sede dogmatis, de quo agitur. (5) ex clarioribus & pluribus illustrata.

8. Quærit Papista: Unde constare tibi potest, hos libros, quibus nos utimur & non alios esse veram illam & Prophetica & Apostolicam Scripturam? Resp. Non ex solo Ecclesiæ